



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio  
fidei & doctrinæ Electorum, Principvm Et Ordinvm Imperii,  
atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam  
Confessionem amplectuntur**

**Lipsiæ, 1606**

De Compendiaria Regvla Atqve Norma, Ad quam omnia dogmata  
exigenda, & quæ inciderunt certamina, piè declaranda & componenda  
sunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35443**

Epitome  
**ARTICVLO-**  
**RVM, DE QVIBVS CON-**  
**TROVERSIÆ ORTÆ SVNT, IN-**  
 ter Theologos Augustanæ Confessionis; qui  
 in repetitione sequenti, secundum ver-  
 bi DEI præscriptum, piè declara-  
 ti sunt, & conciliati.

**DE COMPENDIARIA**  
**REGVLA ATQVE NORMA, AD**  
 quam omnia dogmata exigenda,  
 & quæ inciderunt certamina, piè decla-  
 randa & componenda sunt.

I.

**R**EDIMVS, confitemur, & docemus,  
 unicam regulam & normam, secundum  
 quam omnia dogmata, omnesq; doctores  
 æstimari & iudicari oporteat, nullam  
 omnino aliam, esse, quam Prophetica &  
 Apottolica scripta cum Veteris, tum  
 Novi Testamenti, sicut scriptum est: Lucerna pedibus  
 meis verbum tuum, & lumen scæntis meis. Et Divus  
 Paulus inquit: Etiam si Angelus de cælo aliud prædi-  
 cet Euangelium, anathema sit.

*Psal. 119.**Galas. 1.*

Reliqua verò siue Patrum siue Neotericorum scri-  
 pta, quocunque veniant nomine, sacris literis nequa-  
 quam sunt æquiparanda, sed vniuersa illis ita subijci-

enda

enda sunt, vt alia ratione non recipiantur, nisi testium loco, qui doceant, quòd etiam post Apostolorum tempora, & in quibus partibus orbis, doctrina illa Prophetarum & Apostolorum sincerior conseruata sit.

Et quia statim post Apostolorum tempora, imò etiam cum adhuc superstites essent, falsi doctores & hæretici exorti sunt, contra quos in primitiua Ecclesia Symbola sunt composita, id est, breues & categoricæ confessiones, quæ vnanimem Catholicæ Christianæ fidei Consensum & Confessionem Orthodoxorum & veræ Ecclesiæ complectebantur (vt sunt Symbolum Apostolicum, Nicenum, & Athanasianum) profiteamur publicè, nos illa amplecti, & rejicimus omnes hæreses, omniaq; dogmata, quæ contra illorum sententiam vnquam in Ecclesiam Dei sunt inuecta.

Quod verò ad schismata in negocijs fidei attinet, quæ in nostra tempora inciderunt, iudicamus, vnanimem consensum, & declarationem Christianæ nostræ fidei & Confessionis, in primis contra Papatum, & huius falsos ac idolatricos cultus, & superstitiones, & alias sectas, esse nostri temporis Symbolum, Auguttanam illam primam, & non mutatam Confessionem, quæ Imperatori Carolo V. Augustæ Anno 30. in magnis imperij Comitijs, exhibita est: Similiter & Apologiam, & Articulos Smalcaldicos Anno 37. conscriptos, & præcipuorum Theologorum illius temporis subscriptione comprobatos.

Et quia hæc religionis causa etiam ad Laicos, quos vocant, spectat, eorumq; perpetua salus agitur: profiteamur publicè, nos etiam amplecti Minorem & Maiorem Doct. Lutheri Catechismos, vt ij Tomis Lutheri sunt inserti: quòd eos quasi Laicorum Biblia esse censeamus, in quibus omnia illa breuiter comprehendantur, quæ in sacra scriptura fusiùs tractantur, &

quorum

II.

III.

quorum cognitio homini Christiano ad æternam salutem est necessaria.

Ad has rationes, paulò antè monstratas, omnis doctrina in Religionis negotio conformanda est, & quod ijs contrarium esse deprehenditur, id reiectendum atq; damnandum est: quippe quod cum vnanimi fide nostræ declaratione pugnet.

Hoc modo luculentum discrimen inter sacras veteris & noui Testamenti literas, & omnia aliorum scripta retinetur: & sola sacra scriptura, Iudex, norma & regula, agnoscitur, ad quam, ceu ad Lydium lapidem, omnia dogmata exigenda sunt & iudicanda, an pia, an impia, an vera, an verò falsa sint.

Cætera autè Symbola, & alia scripta, quorum paulò antè mentionem fecimus, non obtinent auctoritatem Iudicis: hæc enim dignitas solis sacris literis debetur: sed duntaxat pro Religione nostra testimonium dicunt, eamq; explicant, ac ostendunt, quomodo singulis temporibus sacrae literæ in articulis controuersis in Ecclesia Dei à doctõibus, qui tum vixerunt, intellectæ & explicatæ fuerint, & quibus rationibus dogmata cum sacra scriptura pugnantia reiecta & condemnata sint.

## I.

## DE PECCATO ORIGINALIS.

*Status controuersie.*

**A**N peccatum Originale sit propriè, & absque omni discrimine, *I P S A* hominis corrupti *NATVRA, SVBSTANTIA & ESSENTIA,* aut certè principalis & præstantissima pars ipsius substantiæ: vt pote, *I P S A* rationalis *ANIMA,* in

summo